

05

A

2096





בג"ד
DISSERTATIO PHILOLOGICA
De

Terra Morijah,

&
Monte Visionis Dei,
ex Gen. XXII. v. 2. & 14.

Post.

Quam
DEO Providente

Sub PRÆSIDIO

VIRI Praclarissimi

DN. M. MICHAELIS Liebentanz/

Facultatis Philosoph. Adjuncti longè
meritissimi,

*DN. Fautoris & Praeceptoris sui
aeternum colendi,*

In Illustri ad Albim Academia

Publicæ συφιλολογῶντων Collationi sistit

AUTOR & RESPONDENS

JOHANNES Lehmann/Namslav. Siles.

D. 25. Februarij,

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wende.

Anno MDC LXIII.

7



05 A 2096

7





I. N. 7.



ARduum, & non sine adversitati-
bus gravissimis conjunctum erat iter,
constantissimus cum ille Amator DEI Abra-
ham, dulce Patriæ Solum jussu divino relin-
queret, seq; in Terram, olim à Possessore ejus-
dem antiquissimo Noachi è filio Cham nepote, Canaan dictam
converteret; Verùm utut illud fuerit grave & difficile, vix
tamen, imò ne vix quidem, cum itinere ad omni ævo claris-
simum Montem Morija, in ullam venire potest comparatio-
nem; tantò enim magis hoc est admirandum, quantò magis
propter implendi difficultatem est singulare, & præ illo tam
gravissimis, quæ non tantùm inclinationi naturali repugnare
sed & ipsas vires humanas planè excedere videntur, circum-
stantiis aggravatum. Nam præter *Rei Qualitatem*, (quod
post cultrum ductum per jugulum Filii & reductum, ipse Pater
propriis manibus, Corpus unici & sine ulla amoris cessatione
dilecti filii, Filii promissionis & quasi per miraculum in se-
nectute geniti, ad redigendum in cineres & pulverem Rogo
imponere, & ita omnes corporis partes torrendo & cremando
quasi annihilare, deberet;) sanè *Circumstantia Loci* mandati
exsequendi difficultatem & Rei acerbicatem non parum auge-
bat, sed & insuper ad excruciamdum Fidelis animum majorem
in modum faciebat, quod in viâ tridui itinere id tamdiu præ-
sente Objecto continue meditari, & in eo per totam viam ani-
mo discrucari cogitationibusq; discerpi deberet, adversus
quod non tantùm affectus animi paterni, sed & tota carnis
militia pugnaret. Verum, hinc etiam eo magis hocce Abra-
hami obsequium, non impetuosum forsan sed diu delibera-
tum & præmeditatum commendari, & pro exemplo inter
mortales omni exceptione majori, haberi solet. Agnovit hoc

A 2

etiam

etiam ex Rabbinis imprimis R. Bechai Comment. ad h. l.
 factum hoc ita qvi deprædicat: **פעולה זו לנתיבות היתה**
כאשר הפעולות והנסיון הזה לנתיבות היתה כאשר
הנסיונות אין הטבע יכול לסבלו ואין הכוח המדמה
לחשבו: Hæc actio alia plane fuit præ cæteris, & hæc tentatio
reliquis omnibus fuit plane dissimilis; nam ipsa Natura non est
potens ad id ferendum, multo minus vis imaginatrix ad id satis ex-
pendendum. Optime hic itaq; Senecæ illud poterit adhiberi,
 & dici hunc DEO visum fuisse, in quo experiretur, quantum na-
 tura humana possit pati. Et hoc est, quod R. Joseph Albo
 plenis buccis evehit, quando Serm. 14. cap. 13. de pietate Pa-
 triarchæ ita scribit: **יודע השם שאין בעולם עובר**
יותר גדול מהיותו שוחט בנו וחידו זה אור
גדול מורה על היותו עובר מאהבה גמורה:
Cognoverat Deus, quod in mundo non fuerit religiosior præ eo, qui
filium suum dilectissimum mactaret. Ideoq; hoc insigne documen-
tum erat Abrahamum Dei amore maximo flagrare. Flagravit
 omnino amore DEI maximo Abraham, hinc etiam generosæ
 huic menti, vero amore DEI imbutæ, posuit DEUS ejusmodi
 heroici amoris objecta, ne virtus quæ semper vult oppugnari,
 in animo hujus amatoris delitesceret, sed potius ostenderet,
 quomodo magis magisq; ex vulneribus vires acquirat. Vidit
 & hoc quasi per somnum & umbram Seneca, (cujus integer
 de providentia liber, suo merito dignus est, qvi quoad potiora
 axiomata huc trahatur & applicetur, præcisitamen, quæ gen-
 tilismum spirant flosculis) quando sparsim inquit c. 1. 2. *Deus*
Virtutum non lenis exactor viros bonos ut severi Patres filios durius
educat, aitq; Operibus, doloribus ac damnis exagitantur, ut verum
colligant Robur. Marcet sine adversario Virtus, & c. 4. Prospera
in plebem ac vilia ingenia deveniunt, at calamitates terroresq;
mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est, & c. Hanc
itaq; rationem sequuntur Di in bonis viris, quàm in Discipulis suis
Præceptores, qvi plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes
est. Quam penitissimam quasi ex Tripode Senecæ Sapientiam,
 extra omnem dubitationis aleam esse positam, docet adhuc
 quoti-

quotidiana experientia. Sic enim omnino DEUS solet suos ducere. ---- Per Saxa, per Ignes,

Quaę est difficilis, quaę est via nulla, sequuntur. Et talem quoę imprimis viam securus est Abraham, majora si minoribus conferre velimus, & quidem tali promptitudine, ut non adeo male, illud Pyrrhi Regis, quod olim de Fabricio Romano agebat, applicari possit Abrahamo, facilius fuisse Solem à suo cursu, quàm hunc à suo proposito avertere. Nam ex eâ nocte, qua Oraculum acceperat, illicò summo mane surgens, ad iter se accinxit, & sine ulla cunctatione, DEO obtemperavit, & ad locum constitutum, Terram nempe Morijah, sese contulit. Cumę iter & historia hæc Abrahæ, imprimis primam Monti huic nostro, quem & nos jam cogitationibus nostris adire meditamur, dederit claritatem & nobilitatem in Scriptura S., paucis hinc etiam eandem antea ita prælibandam duximus. DEUS clementissimus, qui circa admirandum hoc iter Abrahamo de omnibus benignissime prospexit, ut & nobis divinâ suâ gratiâ adsit & prospiciat, devotis suspiriis est quod ingeminamus!

בהנוי:

§. I. Totius Ebrææ Litteraturæ cum hæc, B. Luthero iudice, natura sit, quod tota tota, etiam quoad nomina propria sit Etymologica, ab ipso nomine nostri Thematis primordia ut capiamus, abs re haud erit; nam expeditâ accuratè vocis ipsius Origine, vi atę potestate, ad rem ipsam felicius quin deveniamus, non est ut dubitemus. Si enim in aliis Lingvis Plinii illud, verba rerum esse Notas, obtinere solet, quidni majore jure tanquam verissimo verius id affirmari poterit, de sanctissimâ Lingvâ & ipsius DEI verbis, in quibus sanè vix reperietur litera, profundam quæ non redoleat Sapientiam & doctrinam, vel uti Ebræi loqui amant שׂאין ההרים גדולים תלויים ברוח à qua non maximi montes pendeant?

§. II. Nomen itaę illius Terræ ad quam Abrahamus à Domino ablegabatur, dicitur Morijah, quæ vox origine Ebræa est, vocabuli compositi rationem habens, utut aliàs compositionis genus, *ex duabus justis & separatis vocibus, secundum*

limitationem Excellentissimi Dn. Sennerti, Patroni & Fauto-
ris nostri ætatem devenerandi, in ebherina hâcce lingvâ soleat
esse rarior. Scribitur מריהו indifferenter quoad syllabam
primam vel sine fulcro ut h. l. Gen. XXII. §. 1. vel cum eodem
2. Paral. III. §. 1. Latinis literis si efferendum, exprimitur vulgò
per Moria vel Morya aut Moriah, verum rectius cum B. Lu-
thero effertur per Morija vel Morijah, nam (י) hic in medio
non quiescere monstrat punctum sive מפיך sive Dagesch
Ebræis dictum.

§. III. Explanacionem ipsam hujus vocis quod attinet, circa
eandem propter varietatem Sententiarum inter Scriptores,
cum longe major sit disconveniëntia, quàm esse solet inter multa
horologia, desudandum hic aliquantisper erit, cumq; illius
Originatio controversa prolixiorē crenam poscat, quare
prolixitatis exoramus veniam. Rabbinorum quidam deflectunt
Nomen hoc à ירהו in hiphil הורה quod *docere* signi-
ficat, formant inde sibi nomen הוראה *Doctrina*, putantq;
montem hinc dici המורה יהו quasi הוראה יהו montem
doctrinæ Domini, propterea שמעם יצאה הוראה לעולם
quod ab eo Doctrina sive Lex in totum mundum sit exitura.
Approbatum quidem ipsum hoc etymon etiam à summis Chri-
stiani nominis viris quibusdam, communiter tamen alia ex-
plicatione allegoricâ, habito respectu ad montem Calvariæ ap-
plicatur, quod, uti loquuntur, Christus omninò in eo, non tan-
tùm Legem Evangelicam suâ morte sanciverit, verum etiam
ab eodem omnis doctrina salutis & Evangelii ad nos pervene-
rit. Quæ allegoria quamvis aliàs insulsa adeo non sit, ipsa tamen
Etymologia pro vera neutiq; est venditanda, meram enim
hic tantum lusionem esse unicuiq; ad primum oculi nictum satis
apparet. Quod si tamen Radici ipsi aliquid tribuendum esset,
certe convenientius derivari posse videretur ex Participio
Hiphil ejusdem nominati Thematis quod est מורה docens
qs. dicas מורה ירהו docens Dominus, eadem explicatione
retenta, vel uti rursus alii ad Montem Calvariæ, collem singu-
larem Montis Morijah, respicientes, insuper hoc participium
nomina-

nominaliter accipiunt, quatenus nempe מִרְיָהּ etiam secundum alteram Radicis notationem, denotat *pluviam*, hincq; Montem Calvariae mystice ita dictum esse מִרְיָהּ יְהוָה q̄s. מִרְיָהּ יְהוָה hoc est Pluviam DEI, eo quod Sanguis DEI, ut pluvia super eo effusus sit. Verum aliam cum videatur Magisterium ipsius Spiritus Sancti edocere Etymologiam, præter eam certe nec hæc nec ulla alia poterit habere locum.

§. IV. Longius verò jam abire videntur, ad Radicem מֵרַר amarus fuit, qui confugiunt, huncq; montem ab amaritudine ita dictum autumant, quia nimirum is tam Abrahamo immolanti, quam Filio immolando amarus fuit; neq; collimant adeo, ex ejusdem Radicis nomine מֵרַר Myrrha מֵרַר nostrum deflectentes, eâ rarione, quod tota illa Terra Soly-morum illis sæculis nimis ferax fuerit Myrrhæ & Aloës, nixi fundamento è Cant. IV. v. 6. petito: אֵלֶיךָ לִי אֶל-הַר הַמֹּרִי

Ibo ad Montem Myrrhæ, & ex eo præprimis Conceptus suos fir-

mant. Ita n. rursus R. Bechai de hoc loco Cōment. cit. scribit:

הַר הַמֹּרִיָּה הוּא יְרוּשָׁלַיִם וְקָרְיָת הַקְּדוּשָׁה לְכָל הָאָרֶץ
הַמֹּרִיָּה עַל שֵׁם הַר שֶׁבְתוּכּוֹ וְמֵה שֶׁנִּקְרָא יְרוּשָׁלַיִם
הַר לְפִי שְׁהוּיָה מִלְשׁוֹן אֵלֶיךָ לִי אֶל הַר הַמֹּרִי וְקִנְמוֹן
זֶהבֶשֶׂם הַטּוֹב הַיּוֹדֵה גֵרָל שֵׁם וְכֵן דִּרְשׁוּ רַבּוֹתֵינוּ ז"ל
קִנְמוֹן הַיּוֹדֵה גֵרָל בְּאֶרֶץ יִשְׂרָאֵל וְהַעֲזוּם וְצַבָּאִים

Mons Morijab denotat Jerusalem; & vocat sanctus benedictus ille totam terram hoc nomine, quia Mons Morijab in ejus medio erat situs. Quare autem Jerusalem mons vocatur? illud fit eâ significatione, quæ dicitur: Ibo ad montem Myrrhæ. Cinnamomum & Aromata bona ibi nascebantur. Atq; ita Doctores nostri f. m. mystice explicant: Cinnamomum crescebat in Terrâ Israel, & caprea & capreoli de eo comedebant. Approbat Originationis hujus explicationem & ipse Rabbi Moses Ben Nachman Comment. ad h. l. ita scribens:

הַנְּבוֹן עַל דֶּרֶךְ הַפֶּשֶׁט שְׁהוּיָה
כִּמוֹ אֵל הַר הַמֹּרִי וְאֵל גְּבַעַת הַלְּבוֹנָה כִּי יִמְצְאוּ
שֵׁם בְּהַר הַהוּיָה מֹר וְאֵהוּלִים וְקִנְמוֹן:
Juxta sensum literalem intelligendum hoc, quemadmodum illud, ubi dicitur (Cant. 4.)

ad

ad Montem Myrrha & ad collem thuris. Quoniam inveniabantur in monte hoc Myrrha, Santali & Cinnamomum. Rem ipsam hinc in dubium vocare, noster quidem non fert animus. Myrriferam & fertilissimam fuisse Regionem non negamus, quamvis & hic non dubitemus, recutitos multa scripsisse, quæ deinde pudefecit experientia; interim tamen Etymon hujus vocis quod attinet, licet nec ita plane inconcinnum esse videatur, causam tamen sufficientem nullam habemus, cur relicto vero, historico & literali sensu, mysticum & parabolicum sic dictum vulgo apprehendamus, cum cuivis notissimum, admonente Cl. Fullero esse debeat, sensum parabolicum, quo totus Cantorum libellus conscriptus est, ab historico quam maxime discrepare. Quid verò per Montem Myrrha intelligatur, cum nostrum non sit hic exponere consulendi sunt summè Rever. & Excellentiss. Dn. D. Calovius Annotatis Antigrot. in h. l. & Dillherrus in Elect. Sacr.

§. V. Neq; minorem si non prorsus incommodam Recessionem à Textu Ebræo fecit Syrus interpres, quando Terram Morijam à populis Amorrhæis ita dictam autumat; vertit enim hic *אֲרָם* & *אֲרָם* in Terram Amorrhæorum quasi hoc suum nomen, ab hisce populis, tùm temporis possessoribus illius terræ & inhabitatoribus, sortita fuerit. Verùm apertè falsum est, terram Canaan unquam Amorrhæam dictam esse; accedit insuper, quod plane incertum sit, Amorrhæos hanc terram unquam inhabitasse, multo magis imperium super eandem tenuisse, cum non possit non esse notissimum, horum populorum Regnum fuisse Regionem Galaaditin, quæ aliàs strictè & proprie sic dicta Terra Galaad nominari consuevit; hæc q; est illa Terra quam Israëlita Regi Amorrhæorum Schon, transitum ipsis per terram suam deneganti ademerunt. Numer. XXI. v. 21. seqq. quamq; deinde Rubenita & Gaddita utpote compascuam, ut sibi in sortem & hæreditatem daretur, postularunt à Mose, qui & ipsis eam tandem ad possidendum tradidit. Num. XXXII. v. 1. seqq. & 33. seqq. Cognito itaq; hoc, licet non negemus, terram Gilead Amorrhæam tunc temporis potuisse dici, non tamen videmus, quomodo ulla specie probabilitatis,

litatis, hoc nomen ad nostra montana Jerusalem referri possit, cum illa Terra cis Jordanem adhuc sita fuerit, adeoq; à terra Canaan multum distarit, quod neminem certe ignorare sinunt tabulæ Chorographicæ. Eadem, si non severiori animadversionis notâ dignus censendus est, Interpres Arabs, Moabitis illud quij adscribit, quando vertit: أرض الموآب Ter-ram Moabitarum.

§. VI. Neq; risu minus alii digni sunt, qui Vocem Morijah Syriacam pariter & Ebræam esse volunt, statuentes מריה compositum esse ex Nomine Syriaco מריה & Ebræo יה Dominus, adeoq; significare Dominium Domini, Die Herrschaft des HErrn. Sed sine dubio hi aliter sensissent, perspectum si habuissent, male nominis alicujus proprii Etymon ex permistione lingvarum inter se deduci. Quis enim non animadvertit, ridiculè plane Nomen Pauli à פה os & αυλὸς tibia qs. Ostubæ formari? Sed aliud est videre, aliud ridere.

§. VII. Longissime verò omnium jacula sua extra scopum jecit R. David Kimchi, vir uti aliàs eruditissimus, ita hic ferè ineptissimus, quando מריה nostrum à רוה quod est irrigari, abunde inebriari, desle&it. Falsam & erroneam hanc suam Opinionem, ut aliquo modo prober, causam Originationis hujus perhibet sequentem: שהיתה ארץ רוה אחד ששכן בה הכבוד יהוה: *Quod tota illa terra irrigua fuerit, vel omnibus copiis circumfluxerit & abundarit, postquam in ea gloria illa Dei habitaverit.* Verum, dum sensum appellationis explicat, majoribus ineptiis & erroribus sese implicat, & utut illud רוה sive pro abundari sive irriguum esse accipiamus, utrumq; tamen non tantùm contra Scripturam, verum etiam ipsius Rei veritatem militat; quasi verò illa terra ante exstructionē templi aut erecta ibidem Israëlitarum tabernacula, melle ac lacte nō affluerit, h.e. summâ ubertate naturali; feracitate prædita non fuerit; quod certè inter alia cum Exod. XIII. v. 5. & Deut. VIII. v. 7. 8. 9. stare non posse, apertè constat. Deinde quoq; contra Rem experienciâ munitam loqui videtur, totam illam terram ejusmodi copiis aquarum abundasse.

dasse. Modice fuisse irriguam non negamus, fuit tamen & sicca, quod confirmat D. Hieronymus ipse oculatus pariter atq; religiosissimus testis Comment. in Jes. c. 49. ubi scribit, saxosis montibus hunc tractum asperari, penuriamq; sitis pati; hincque cœlestibus uti pluviis & ita raritatem fontium, cisternarum exstructione solari. Nihil ergo cum videamus esse, quo Judæus pertinacissimus excusari possit, repudianda omnino hinc veniet non tantum ipsa falsa Originatio, sed & ejusdem fulciminis ergo adducta erronea ratio.

§. VIII. Propius autem jam à Rei veritate abesse volunt, qui Radicem מוריה timuit, & ex eadem petitum Nomen מוריה timor sive Reverentia pro optimo Vocis Morija etymo agnoscunt. Gloriantur verò & de hoc, quasi invento hecatombe digno, præ aliis rursus Rabbini, certò sibi persuadentes, Abrahamum super eo montis colle, arietem loco Isaaci sacrificasse, supra quem deinde Templum hierosolymitanum exstructum fuerit, hocq; suo sacrificio huncce locum cultui divino aliquando destinandum initiasse qs. & consecrassè, dictumq; hinc eum jam tum velut Mysterio מוריה h. e. timorem sive monumentum timoris & reverentiæ DEI, quod Deus ibi quasi præsens timeri coliq; debuerit. Quæ in genere de monte Morijah, uti piè, ita non minus verè dicta esse videntur, nisi modò hæc Rabbiorum Sententia pro concessa, de quo tamen adhuc inter Autores dissensus maximus est, assumat, Abrahamum præcisè in illa montis parte, & illo singulari loco, cui deinde templum superædificatum est, ligationem illam filii peregrisse quæq; ibi facta sit: שְׁתִּיר זְכוֹרָה הַעֲקִירָה בְּקִרְבָּנוֹ לְעוֹלָם: Ut ligationis hujus meritum subinde sacrificiis in æternum competeret, quemadmodum R. Gerundensis dure admodum loquitur. Cæterum ipsa tamen Etymologia applausum mereri videtur, imprimis ob Consensum summæ Autoritatis Interpretum, & quidem Chaldæi Paraphrastæ Onkelosii Christi συγγερον, itemq; Jonathanis, Simeonis illius justii Condiscipulo, ostendente utrumq; Cl. Schickardo בָּהּ, qui in Targumim Verba illa Gen. XXII. §. I. vade ad terram Morijah reddiderunt וַאֲזַיִל לָךְ לְאֶרְעֵי פְּלִתְנֵי Vade in
terram

terram Cultus, sc. divini, h.e. exercitio pietatis sinceræ & Religiosæ Venerationi divinæ destinata, quos etiam proximè accedit alter Arabs vertendo *الْبَلَدُ الْعَبِيدَانِي* *in terram adorationis. Et hæc etiam Etymologia à verbo* *יָרַא* *quod timere significat, præ reliquis maximè placet B. Luthero, Vocabulum Morija per* *מוריה* *sive reverentiam & timorem DEI explicanti, eò quod præprimis in hoc monte Patriarchæ nullo non tempore DEUM coluerint, quemadmodum in gloss. margin. ad h. l. inquit: Morijab heiss Gottesfurcht/ Reverentia Dei, cultus Dei, denn die Ältväter Adam/Noah/Sem/ auff demselben Berge Gott geehret/ gefürchtet/ gedienet haben. Wir Deutschen heissen es vielleicht den heiligen Berg/oder da man Gott dienet/mit Berhen/Loben und Dancken / & in enarrat. in Genes. ad h. l. sequentia habet: Verum esse videtur, quod Judæi affirmant in illo ipso loco Adam, Abel, Noë sacrificasse. Certè Sem ibi sedem habuit, à quo verus cultus Dei in mundum propagatus est. Huc alludit illud, quod supra diximus, Paradisum ante diluvium fuisse circa illam terram, & ejectum Adamum ex Paradiso habitasse circa Montem Morija; itaq; etiam ante diluvium celebris locus fuit, propter Dei cultum ac mansit celebris usq; ad Christum, &c. Libenter igitur illos sequor, qui Morijam dictum putant ab Ebrao Verbo, quod significat timere, colere, revereri Deum, ac si dicas Germanicè, Heilige Statt | locus Sanctus, domus Domini, quod is locus à principio Mundi templum & domus Dei fuerit, & cultus ab ipso Adam, Noë & habitatus à summo Patre Sem, sicut hodie Morija est, quam latè terrarum Orbis patet.*

§. IX. Quemadmodum verò recensitas modo Etymologias quasdam suâ carere probabilitate non asserimus, neq; etiam ab his quæ piè ad tractum hunc hierosolymitanum applicari possint easdem excludimus, respicientes tamen ad ipsum indicium Textûs, pro cõmodissimâ & indubia Originatione vix ullam harum agnoscere possumus, siquidem ipse Moses claris & manifestissimis verbis impositionem loci immolationis describens, expresse testatur, Abrahamum Nomen illius loci in quo sacrificavit vocasse *יְהוָה יְרֵאָה* ita enim sonant ipsa

divina verba : וַיִּקְרָא אֲבְרָהָם שֵׁם-הַמָּקוֹם הַהוּא יְהוָה יִרְאֶה :
Et vocavit Abraham Nomen illius loci, Jehovah videbit. Quo
 freti certè testimonio non possumus non, quin relictis dubi-
 tandi conjecturis omnibus pro maximè genuino & ab ipso A-
 brahamo intento. Thema יִרְאֶה agnoscamus, omnemq; for-
 mationis Rationem exiude hauriamus.

§. X. Sicuti verò nunc hujus Originationis Autorum ap-
 plausus datur maximus, ita tamèn applicationem dissensus nec
 reperitur minimus. Primum enim LXX. Interpretes (quoad
 Gen. XXII. v. 2.) respicientes quidem ad hoc etymon, non
 tamen ita concinne id explicantes, applicant τὸ Ἰαῖα ad
 ipsum Montem, & Morija vertunt per ὑψηλὴν i.e. excelsam,
 sive uti Crellius substantive & pariter cum additamento quo-
 piam contra fidem τῶν LXX. exponit *Exaltationem DEI*, des
 Ἠὲρρὴν Ἠὲρρὴ oder Erhöhung/ quia videlicet sublimis & excelsus,
 atq; exinde conspicuus admodum fuerit, eminens ut videri po-
 tuerit; Unde etiam forsàn ansa arrepta est illius, quod in com-
 muni perhibetur, Abrahamum nempe per integrum diei iter
 montem hunc vidisse, anteqvàm eò pervenerit, quod tamen alii
 de nihilo esse autumant, quoniã ille mons non ita fuerit disposi-
 tus, ut è longinqvo videri potuerit; per montes enim, qui in
 circuitu ejus fuerunt, illam visionem impeditam fuisse. Quid
 interim de eo sit, quamvis nec nobis eo sensu Etymon
 hoc arrideat, sufficit in hoc Autores convenire, per illam ver-
 sionem respectum ad Rad. יִרְאֶה haberi.

§. XI. Et parum abest, ad idem quin intenderit Aquila,
 quando Morijah interpretatur per κατὰ Φανῆ. Licet enim hu-
 jus vocabuli expositio rursus in duplici sit differentiã, respici
 enim eo quidam volunt ad Rad. יִרְאֶה in hiphil & exponunt id
 per *illuminans*, eò quod in templo, hoc est, monte Morijah fue-
 rit רַבִּיר i.e. Oraculum Dei, ac Spiritus S. docens & illuminans
 Prophetas, eisq; Oracula inspirans; magis tamen aliis placet
 τὸ κατὰ Φανῆ referre ad יִרְאֶה & transferri id per *lucidum*, eò,
 quod mons iste præ aliis lucidus atque hinc longè lateq; con-
 spicuus & aspectabilis fuerit, quæ Versio cum hoc sensu ferè
 CONVE-

conveniat cum superiori illâ, eo quod, judicante Cl. Füllero, necessarium sit, locum longè lateque conspicuum etiâ exclusum esse, hinc etiam eidem aliisq; probabilius videtur, versione hac interpretem illum magis ad הַרְרֵי quàm הַרְרֵי respexisse.

§. XII. Alii deinde quibus præprimis ad salivam est idem etymon, convenientius tamen id referunt non tam ad Montem, quam ipsum ad divinum Numen & הַרְרֵי videndi significationem tanquam imprimis litteræ propinquum retinent. Fecisse hoc inter alios Symmachum haud obscurè elucescit, quando vertit, montem ὄψιασας , quam versionem pleno quod dicitur sinu amplectens, secutus est Hieronymus, Montem visionis dum interpretatur.

§. XIII. Quanquam verò jam hæc interpretatio à plurimis optima textuiq; maximè propria judicatur, nihilominus tamen & hic rursus circa $\text{רֹ$ videre inter Autores oritur explanationum varietas. Quidam enim in simplici significatione *videndi* manent, contendentes non aliam ob causam dictam esse terram visionis, nisi quia Deus Abrahamum duplici respectu viderit, tum oculis misericordiæ, vetans immolari filium, tum beneficentiæ, tantam ejus obedientiam amplissimorum bonorum magnificentissimis promissionibus remunerans. Alii vero simplex significatum in compositâ providendi significatione accipi malunt, idq; probant ex eo, quia videlicet expressè dicatur à Mose, impositionem hanc factam esse è vocibus יְהוָה יְרֵאָה quæ extra dubium desumptæ sint, ex Responsò Abrahami, quo antea filium de pecude holocausti sollicitum, providentiæ divinæ curam hanc committendo Pater quietum esse jussit, quando in hæc verba erumpebat: אֱלֹהִים יְרֵאָה לְעוֹלָהּ לוֹ הַשֵּׁה Dominus videbit sibi pecus in holocaustum. Quibus verbis, quamvis certum sit, Abrahamum non tam denominationem loci, ubi victima erat offerenda, quam ipsam victimam inscium prænunciassè; (quod alias imprimis Rabbi propugnare solent, qui in illo vaticinio non in genere tantum sed speciatim insuper victimam denominasse Abrahamum per רֵאשִׁי תִּבּוֹת speciem illam Cabalæ, quam vocant נוֹטְרִיקוֹן

colligere satagunt, eo quod ex literis verborum istorum
 אֱלֹהִים יְרָאָה לוֹ initialibus proveniat Nomen hostiæ אֲרִיֶּתֶם
 Arietem significans, quem Abrahamus loco Isaaci Deo obtu-
 lit) interim tamen conjiciunt ex eo, quando peractâ victimæ
 oblatione, Abraham statim verba illa יְהוָה יְרָאָה (quorum an-
 te in Responsione filii de victimâ solliciti mentionem fecerat)
 repetendo Monti indit, satis elucere, unice Eum respexisse ad
 Providentiam Dei, quâ in præsentî actu imprimis usus fuerat,
 dum ipsi de alia victimâ loco Isaaci offerendâ Deus benignis-
 simè prospexerit, cumq; hoc ita comparatum sit, concludunt,
 verba illa in eadem providendi significatione, qua antea prola-
 ta sint, esse quoq; retinenda. Imo accedere & hoc, quod in
 Scriptura id insolens non sit, quod Deus videre dicatur, quan-
 do de rebus, quas moderatur & gubernat, prospicit. Conf. Ex-
 empla ap. B. Glafs. in Rhetor. sac. T.1. c.VIII. p.139.

§. XIV. Deniq; præter communes hæc aliam adhuc, nec
 ineruditam & Christiano homine præprimis dignam suppeditant
 explicationem, qui ad locum crucifixionis Christi pri-
 mum respicientes, inclusis cæteris hoc *videre Dei*, tam a-
 ctivè quàm passivè explicandum esse censent. *Activè* quidem
 de ipso Deo Patre, qui totum genus humanum oculis suæ mi-
 sericordiæ & Providentiæ aspexerit, eiq; de mittendo filio suo
 in terrarum orbem, ad pretium redemptionis persolvendum,
 benignissimè prospexerit; *Passivè* verò de Filio Dei Christo,
 vero Jehovah, qui in hâc Terra Morijah variis modis se viden-
 dum exhibuit, & vel ipsis oculis sensibusq; corporeis visen-
 dum præbuit, quiq; in singulari illo Montis Morija colle & *να-
 Τ* ἐξοχῆν visionis & patefactionis Dei loco imprimis visus est,
 dum in eo non tantùm hominibus sed & Cælo & Terræ tremen-
 dam & admirandam visionem exhibuit; & hac etiam explica-
 tione lucem videtur accipere maximam, erudita & recepta illa
 hodie inter Philologos nominis Morijah interpretatio per *Θα-
 νερωθεὶς θεός* Dominus conspicuus factus est, *Germanicè* offen-
 bahrter Herr/ quemadmodum id translatum in Indice Etymo-
 logico bibliorum germanicorum.

§. XV. Præ-

§. XV. Præmissis hisce, amplius licet non ambigamus, explicatum Thema מִרְיָהּ genuinum etymon esse vocis Morijah, id enim ut credamus svadet v. 14. uti monitum, dubium tamen sic oriretur, ipsa formatio quomodo sit instituenda, cum è longinquo esse videatur ex מִרְיָהּ & הַיָּהּ Nomen מִרְיָהּ effabricare. Verum & has dubitandi conjecturas sublatas jam esse ab ipsis Philologis, dubitandū haud est, non enim ita præcise ex 3. Pers. hâc singulari constat id esse putandum, sed persona huic voci, quoad fieri potest, maximè accommodata est eligenda, si deductio ritè peragi debeat. Fecit verò imprimis hoc & ad motâ falce quasi resecauit, difficultatem hanc Clariss. Füllerus, quem etiam, cum viros maximos pariter atq; doctissimos οὐαψήφῃς habeat, hic in medium evocare liber, & formationis istius rationem prolixè declarantem ita audire: Ego (inquit) (ut pace tot doctissimorum Virorum liberè dicam quod sentio, & in medium proferam, quod tūm jam à veritate neutiquā abhorrere, tūm ad Christi gloriam imprimis spectare confido) nomen Morijah non solum substantivum, sed ex duobus etiam compositum arbitror: quorum prius est participium in Hiphil passivum מִרְיָהּ alterum unum ex divinis nominibus maximè propriis, nempe הַיָּהּ. Porro compositionis istius perspicua hæc est ratio minimeq; difficilis. In participio מִרְיָהּ mutatur primūm Cametz Chatuph per Ecclasin in affine punctum Cholem. Tum per Contractionem quandam eliditur נ & traductum ipsius punctum Seghol, præcedenti ך subjectum intelligitur. Deinde (more quiescentium Lamed He) migrante ה in ך Seghol item in Chirek vertitur. Postremo Jah (יָהּ) Nomen divinum fini annectitur. Idcirco rei dagesch fortis duplicatur Jod, ut utriusq; vicem præstare queat. Quare vocabulum מִרְיָהּ perinde valet ac הַיָּהּ מִרְיָהּ vocibus separatim & distinctè scriptis, h. e. Θεωραθεὶς θεός vel αὐραθεὶς Deus aut Dominus conspicuus factus. Laudat Fülleri hanc Originationem & ut eruditam, ita non minus piam deprædicat ipse B. D. Glassius Libr. 4. Phil. sacr. Tract. 8. Gram. sacr. p. 801. eandemque adhuc declarans, de Etymo hoc v. 14. contento sequentia subnectit.

subnectit. Si Grammaticè, inquit, resolvatur, fit ex eo מִרְיָהוּ
i. e. Φαυσεωβεις θεος, Deus manifestatus seu conspicuus factus. Is est
filius Dei, qui in loco illo & monte crucifixus & in sacrificium
pro peccatis nostris oblatus fuit: cujus typica representatio
in Isaaco à Deo præmonstrata, & loco illustre hoc Nomen
Mnemonicum inditum fuit.

§. XVI. Expedito & hoc de ipsâ formatione Nominis
Morijah petito dubio, de tempore quoq; quando nimirum &
qua occasione Loco illi Nomen hoc impositum fuerit, con-
troverti porro solet. A temporibus Abrahamæ illud monti huic
cessisse, in dubiũ quidã vocat, & obvertunt, quomodo (si historia
Abrahamæ natales huic voci dedisset) jam v. 2. ejusdem Nominis
Morijah mentio fieri potuisset, antequam rationem nominis
monti impositi v. 14. contentam, Abraham dedisset. Hoc eoq;
primario dubitationis fundamento permotus etiam Cl. Rive-
tus negat sciri posse quando & qua occasione mons ita vocatus
fuerit. Exercit. CVI. in hoc tap. 22. Gen. ad. v. 2. quamvis Cla-
riss. Vir ipse statim Exercit. CVIII. ad v. 14. cit. cap. Nomen
Morijah tandẽ ex יהוה ירֵאה factũ, omenq; illud & eventum
novã hãc impositione erutum esse agnoscat; ita enim inquit:
*Sanctus Patriarcha loco nomen indit, & gratitudinis suæ monu-
mentum hoc suo factõ erigit, posterisq; suis reliquit. Nomen loco
impositum fuit יהוה ירֵאה unde videtur factum nomen Morija
per abbreviationem.*

§. XVII. Neq; etiam aliud salvã veritate vix asseri poterit,
obvertunt enim alii, præterquam quod aliàs nulla ratio dari
possit, quã occasione aliã mons ita dictus fuerit, certum esse,
ante historiam illam Abrahamæ Monti illi hoc nomen non fuisse,
quod clarum ex eo præprimis fit, quod v. 14. expresse di-
catur, Abrahamum peractõ sacrificio denominasse Montem il-
lum; sanè ergò id nominis antea non habuisse, si enim habuisset,
quomodo ab Abrahamo ita appellari potuisset. Imo nec ul-
lum aliud Nomen huic monti fuisse patet ex v. 2. ubi Deus
mandat Abrahamo filium in holocaustum offerre על אֶחָד
הַהָרִים super unum montium, quem ipsi ostensurus erat, ubi
sanc

sane videmus, nullo nomine proprio montem hic insigniri. Certo itaque hoc, *ὄνομα τοῦ θεοῦ* istam, qua vers. 14. Mons ab Abrahamo nobilitatus est, novam & ab Abrahamo profectam fuisse: quis dubitare poterit, eandem denominationem quoq; ejusmodi insigni historia illustrem, locum illum subsecutis deinde temporibus non retinuisse, & ad posteros non propagatam fuisse? quod inter alia etiam imprimis ex verbis quæ v. 14. post denominationem ab Abrahamo factam, subjunguntur, satis evinci potest; quid enim illo *וַיִּשָׂא אֱבְרָהָם אֶת עֵינָיו וַיִּבְרָךְ אֶת הַמָּוֶלֶת* indicatur aliud, quam perdurasse appellationem illam ad ætatem & diem præsentem, quâ vixit scriptor ille sacer, historiæ huic verba hæc cum adderet? Quod si ergò per tot secula Mons Nomen jam retinuit, quâ probabilitate asseri poterit, quando 2. Paral. 3. v. 1. Idem ille ipse Mons eodem nomine Morijah denominatur, aliud & diversum id esse ab impositione Gen. 22. 14. ab Abrahamo factâ. Accedit, extra dubitationem esse inter eruditos, à Monte Morija totum circumjacentem tractum, Terram Morijah dictum esse, quod ipsum confirmare placet ipsis B. Lutheri verbis quando Comment. in Genes. cit. loc. ita scribit: *Locum Dominus certum designat (scil. Abrahamo) extra domum, in terra Morija. Porro Morija, sicut 2. Paral. 3. scribitur est Mons ille monti Sion vicinus, in quo Salomon edificavit templum in medio Hierusalem versus aquilonare latus, ubi Urbs descendit ad declivium. Dedit autem Mons toti Terræ Nomen, ut vocaretur Terra Morija. Turci quoq; adhuc hodie eo nomine Montem appellant, & religiosè colunt. Sic sæpe fit, ut unus locus toti Terræ Nomen faciat, sicut ab arce Saxenburg tota Saxonia nomen habet. Ita à Monte Morija illo tempore Morija dicta est tota ea Regio, in qua fuit Hierusalem.* Stante ergò hoc, à loco illo quem, Deus Abrahamo designavit, totam terram denominatam esse, quomodo illa terra à loco illo, qui tùm nullum prorsus nomen habuit, cognominari potuit? Quid hîc desiderare queat adversa pars, facile apparet. Nihilominus tñ. certum manet *ὄνομα τοῦ θεοῦ* illa v. 14. nihil aliud referri quàm ipsam significatum Nominis Morija, ejusdemq; explicationem quasi ibidem contineri.

§. XVIII. Ut autem revertamur ad id, à quo digressi sumus,

C

mus,

mus, & quid eruditis super eo dubio (quomodo nempe jam v. 2. Abraham à Domino in Terram Moriija cum ablegaretur, nominis hujus mentio fiat, antequam pietatis & obedientiæ insigne illud monumentum, quod Causam deinde illius impositionis suppeditavit, ederet) animi sit, exponamus, notandum hic est, Philologos ferè omnes sibi hoc dubium moventes unanimiter consentire in hoc, fieri id per *περίληψιν* sive anticipationem in sacris usitatissimam. Cum enim id sæpissime fieri soleat, quod Scriptores *θεόωνόσοι* posteriores libris ante se conscriptis vel quædam inferant, vel imprimis locorū nomina propria ab eventu & rebus gestis locis imposita per anticipatā hanc mentionem cōmemorent, volunt hinc, ex eadē *περίληψεως* Consuetudine Nomen Moriija in sermone Jehovæ recenseri.

§. XIX. Verum enim verò utut aliàs in aliis Scripturæ locis *περίληψις* ea usitata sit, difficultari, tamen ab aliis quibusdam de hoc præsentī loco solet, sermōni Jehovæ aliquid insertum esse, quod per *περίληψιν* commemoretur, quin potius Mo- sen verba retinere, prout à Deo ad Abrahamum ea facta sint, magis hinc placet iisdem, jam tum cum Patriarchæ indigitaretur, quo proficiscendum esset. Terram ita vocatam, eandemq; hinc ante ipsum eventum eo nomine jam expressam esse; Abrahamum verò deinde, cum ex eventu hujus nominis vim satis cognovisset, genuinam Nominis Morijah significationem, quod nempe ille ipse à Deo monstratus locus is sit, in quo Deus ipsi non tantum providere, sed & videndum exhibere voluerit, ostendisse.

§. XX. Quomodo autem Deus oculis suæ providentiæ tam Abrahamo de victima loco Isaaci offerendâ, quam toti generi humano de pretio Redemptionis persolvendo prospexerit: quâ ratione etiam ipsum Abrahamum in hâc Sacrificii oblatione verum Deum & Jehovam Christum, qualiter in eodem loco videndus, & prototo genere humano immolandus erat, in Spiritu prævidisse ostendant & probent, imò illud Joh. 8. v. 52. Abraham exultavit, ut videret diem meum, huc imprimis applicare soleant: quomodo etiam in explicatione *ὄνομα Θεο- σίας* illius *τὸ ἰδὲν ἰη* Dominus videbit, de Patre cœlesti qui

sti, qui intuitu hujus immolationis & Crucifixionis Christi totum genus humanum oculis misericordiae, beneficentiae & paternae providentiae vidit; illud autem יהוה יראא de Christo ipso, qui isto in loco Deus incarnatus, immolatus & cruci affixus videndus erat, propheticè dictum existiment, id cum jam ad *megabedean* spectet, ex ea peti potest & debet, nobis ulterius nil quicquam convenit dicere.

§. XXI. De tempore itaq; , quo nempe Mons ita denominari cepit, cum jam egerimus, restat de loco ipso, quisnam, & ubi situs, fuerit, quoque dispiciendum; eò feliciter autem de hoc ut disseramus, triplicem Montis Morijah facere nobis alubescit locum, communem, proprium & propriissimum. Communem dicimus, totam illam Regionem montosam, cui superstructa ex parte postea sunt Jeruschalajim, quem locum in medio gentium situm, Deus ipse peculiariter ad hoc elegit, ut verae Ecclesiae domicilium diviniq; sui nominis sanctuarium esset; huncque etiam esse volunt montanam illam terram, per excellentiam bonam, egregium illum montem Deut. 3. v. 25. quem Moses videre à Deo expetebat הַר הַטוֹב Montem istum bonum & domum sanctuarii, uti ex Chaldaeo id explicari solet.

§. XXII. In scriptis Rabbiorum dicitur communiter Regio hæc medium הַעוֹלָם Mundi, eo quod in medio terræ universi sitam eandem esse, firmiter persuasum habeant; & hinc etiam procul dubio venit, quod adhuc à plurimis aliis viris Jeruschalem universi hujus orbis, velut quondam à Græcis Delphi, umbilicus & centrum credatur, quod tamen à Casaubono aliisque admitti non posse, quin potius tantum medium הַתּוֹב הַכּוֹסֵם Orbis habitabilis veteribus cogniti ita dici, asseritur. Verum & de hoc quid sentiendum, quomodo etiam rursus alii variè id limitare soleant, & an umbilicus Corporis medium teneat, jam ne extravagari multum videamur, explicare animo non sedet, properamus ad locum Montis nostri specialem sive proprium.

§. XXIII. Hunc autem facimus non tantum Montem, super quem Templum Jehovæ, verum etiam, in quo Civitas Da-

vid & Palatium Regis exstructum fuit, itemq; Calvaria Montem, cui post bina à nato Christo deinde secula ab Helena Matre Constantini Templum magnificum quoque superstructum legimus. Certum enim & inter historicos Chorographosque unanimis ferè consensus est, ad Montem Morijah plures alios adhuc pertinuisse, eumque in plures colles & monticulos divisum fuisse, qui successu temporis variis nominibus insigniti fuerint; Hi autem quinam fuerint, quo melius cognoscamus, ex Diodoro Siculo brevis hæc hauriri poterit declaratio. Ita n. vetustissimus pariter ac fide aliàs dignissimus Scriptor docet: In orientali hujus Montis Morijah parte fuisse Sion, in qua arx Davidis exstructa fuerit, & juxta hanc in area (quam Rex David ab Aravna prisco Jebusitarum Regulo coëmerat) Salomonem ædificasse templum, uti patet 2. Paral. 3, 1. aliam autem partem ipsius Montis Morija extra urbem Jerusalem mansisse, eumque postea à montem Calvaria seu Golgatha audiisse. Idem fere ex Münstero Füllerus refert, quando Civitatem David, sedem templi & locum Calvaria unius ejusdemq; montani tractus colles fuisse ostendit, quod ipsum etiam ex aliis Chorographis confirmat B. Glasius, additq; hinc etiam fieri, quod in indice Nominum priorum Operi Regio inserto *tit. Morijah* Mons Morijah & Sion pro uno eodemq; habeantur. Plura hic qui desiderat testimonia, potest conferre Vitalpandū, Genebrard. Borchard. in Descr. Terræ sanctæ, qui unanimi sententia tres in eodem Montis tractu fuisse Colles seu Montes, qui aliquādo una appellatione Morija aut Sion, aliquando peculiaribus nominibus dicta fuerint, idē asserentes introducuntur.

§. XXIV. Ex hisce tribus quemnam conscenderit Abraham (ut locum quoq; propriissimum determinare possimus) erit tandem subjiciendum. Rabbini totis viribus in id unice incumbunt, Abrahamum illum ipsum jussu divino petiisse Montem, cui templum super ædificatum legimus, adeoq; propterea etiam Legationem hanc unice factam esse ut locus domui DEI ibidem exstruendæ sacrificiisque offerendis destinaretur. Ex multis unum atque alterum hic tantum adducimus; notandus verò imprimis R. Abarbenel venit, qui
Com-

Comment. suo in Pentateuchum ita scribit: צוה לו שילך אל הר המוריה ושיעלהו שם לעולה על ארץ ההרים אשר יאמר אליו לפי שרצה ירא שתהיה העקדה בהר המוריה באותו מקום עצמו שהיה עתיד להבנות המזבח בבית עולמים וכבר סופר ברברי הימים שנבנה המקדש בהר המוריה גם מפני שאדם הראשון נברא מאותו מקום ושם ישב כשגורש מגע וגם נח שם בנה מזבחו ומפני זה היה ראוי שבאותו מקום שנברא אדם והטמא וגורש מפני חטאו שם יהיה יצחק נקרב לעולה תמימה גם שמפני שלתהיה בנה הפועל שישחט יצחק אלת שיגיעהו ער שער מור:

Præcepit ei ut iret ad Montem Morijab & ibi eum offerret super uno montium, quem ipsi ostensurus erat, propterea quia voluit Deus ut ligaretur in Monte hoc Morijab, eoq; ipso loco, cui super adificandum foret Altare in domo Seculorum. Jampridem etiam in libro dierum scriptum est, quod adificatum sit Sanctuarium in Monte Morijab, imò etiam propterea quod primus homo ex eo loco creatus est, & ibi habitavit, cum designatò peccato est expulsus. Præterea etiam Noach ibi Altare suum adificavit. Propterea itaq; conveniens erat, ut in illo loco, quo creatus est Adamus & peccato commisso inde ejectus, Isaacus ligaretur, & in holocaustum offerretur, quanquam Deus ut mactaretur minimè intendit, sed saltem ut ad limina Mortis perveniret. Similibus hujus furfuris commentis, si quis delectetur, plura invenire potest in פרקי רבי אליעזר seu capitulis R. Eliezer aliisque libris quamplurimis. Ita ejusdem quoque generis esse autumat Cl. Cunnæus L. 2. de R. E. c. 12. quod in Breschith Rabba in Pasuk וייצר & in Talmudis Hierosolymitani tractatu, qui נזיר inscriprus est c.

XXIII. legitur, *Adamum ex pulvere illius Montis esse conditum, atq; rectè dictum à Sapien-
tibus Veteri verbo esse שִׁנְבְּרָא כּוּמְקוּם כְּבִרְתּוֹ Creationem ejus in illo loco contigisse, ubi peracta ejus expiatio est.* Quæ si quis credat, uti Cl. Vir bardum hunc existimat, ita recensita supra vanissima esse & exhibilanda judicat.

§. XXV. Sed quamvis quoque ab aliis plurimis tanquam fabulosa, hæc de re in scriptis Rabbinorum passim quæ sparguntur, ferè omnia rejiciantur, non desunt tamen, qui quædam potius excusanda quam profus exhibilanda opinantur; ita Adami, Caini & Abelis Sacrificia in hoc Monte oblata quod concernit, licet concedant, valde dubium id esse, verisimile tamen ex eo fieri conjiciunt, quod incertum adeò esse non possit, Adam è Paradiso ejectum aut semper aut aliquando & quidem longo tempore non procul ab eo loco habitasse, tum propter amorem & venerationem Paradisi, tum propinquitatem, fertilitatem & amœnitatem Regionis hujus à Paradiso non multum distitæ. Præprimis verò magno numero ad stipulantur Ebræis, circa extruccionem templi, quam omninò in loco ligationis Isaaci factam esse propugnant, imo Murænis Tartiffæ P. Cunæu, vix id persuadere posse asserunt, quod vanissimum & exhibilatione dignum censendum sit, Abrahamum huc profectum fuisse, quando filiû immolare voluit. Solet pro fulcimento eorum sententiæ inter alia adduci Chaldæus Interpreter, qui expressissimis verbis, Abrahamum immolatione illa templo destinasse locum, testatur, quando v. 14. ita exponit: *Et oravit atq; immolavit Abraham in illo loco, & dixit coram Domino: hic erunt servientes (Deo) generationes, propterea dicebatur in die hac: in Monte hoc Abraham coram Deo immolavit.* Allegant Josephum aliosq; summæ Autoritatis Viros, ejusdem qui esse dicuntur sententiæ, Abrahamum victimam sacrificasse, ubi postea templum Hierosolymitanum stetit. Urgent deniq; Cap. III. Secundi Chron. v. 1. ex quo satis apparere colligunt, solum huncce montem, cui templum superædificatum fuit, propriissime dici Montem Morijah; & ex eodem fundamento procul dubio Rivetus non sine mysterio id factum fuisse asserit, ut tam insigni obedientiæ actu antea nobilitare-

taretur locus, quem Deus ad cultum suum in Populo Israëlitico eligere voluerit.

§. XXVI. Verum Sententiam hanc, quamvis è contrario alii omni probabilitate non destitui asserant, probabilius tamen & verisimilus adhuc ipsis videtur, Ligationem Isaaci in monte Calvariae seu Crucifixionis Christi loco factam fuisse. Cum enim extra omnem fere dubitationem sit, Montem Morijah varios colles habuisse, adeoque utrumque locum, tam illum, in quo postea templum stetit, quam Calvariae collem, in quo Christus crucifixus est, ad eum pertinuisse vel potius unum eundemque montem constituisse, cur non Christiano homini majori probabilitate asserendum conveniat, Abrahamum huncce potius immolationis Christi locum singularem mysterio quasi nobilitasse? Quo etiam maxime facit Traditio illa Veterum, de qua Augustinum L. 16. de C. D. c. 32. ita scribere hinc inde apud Autores legimus: *Audite, inquit, Sacramentum, Fratres Carissimi, Hieronymus Presbyter scripsit, se à Senioribus Judæorum cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est.* Ita rursus à Cornel. à Lapide Comment. suo in h. l. ita loquens introducitur: *Lignum, ubi fixa erant membra morientis, Cathedra fuit Magistri docentis.* Et in hanc sententiam B. Glassius verbis jam supra allegatis cum Füllero manibus pedibusque ire videtur, quando & hic post supra allegatam explicationem Nominis Morija monti illi impositi ferè eadem subjungit, & insigne monumentum & testimonium id esse dicit, non templi ibi exstruendi ut nonnulli velint, sed Domini nostri Jesu Christi, qui templo major sit in carne illic potissimum patefaciendi. Recensuisse isthæc ergò, nobis hac vice sufficiet, qui dum periculum primum hætenus Philologicorum Meletematum fecimus, ne in ipsis primitiis iudicium minus exercitatum adhuc præcipitasse videremur, sententias prolixè examinare, aut magnis Nominibus insultare juvenili ausu, temere nolimus.

DEO SIT GLORIA!

CELsos invisis Montes, *Lehmanne*, styloq;
Perdocto Moriae dicere culmen aves?
Sic est: ast bene sat! supra commercia Vulgi
Instar surgentis Montis abire studes.
Ni fallor, (nunquam at fallar) de tempore fies
Fastigiumq; Soli delictumq; Poli.

*Commensali & Amico dilectissimo suo
l. m^q, scr.*

ANDREAS SENNERTUS, P.P. h.t. Decanus.

Sunt multis animi nil magnae laudis egentes,
Hinc etiam serpunt, non nisi semper humi.
Non ita Lehmannus qui mente cacumina versat,
Et de monte sacro verba diserta facit;
Quem super Abramus Natum maetare volebat
Caepa jubente prius, mox remorante Deo.
Ardua moliris, Fautor, sed scandere perge,
Adfendat rutilum Laus Tua, faxo, Polum.

Quod animitus vovet

ANDREAS RICHTER, Bözingâ-Hung.

EGregias, edis dotes; Naturaq; vires
In te congeffit, quas habet alma, suas.
Mox altis sacro dicis de montibus ore:
Mox undas latiô disseris eloquio.
O minor extorquet vocem prænobile verum,
Tu Christo quondam montis ad instar eris.

Apposuit amoris fraterni contestandi ergo

C. F. CASELIUS, Med. Stud.

VISIO visa Tibi est, nostris sistenda Camænis,
Quae Morijæ quondam nomina Dia dedit:
Dum videt hæc præfens qui prævidet omnia Phæbus
Præmia pro meritis iste videbit: ait.

Dn. Sympatriotæ, Contubernali atq; Commensali,
doctiss. Disp. Authori l. m^q; f.

SAMUEL SCHELGVIGIUS *Guranus Silesius.*

F I N I S.

05 A 2096


ULB Halle 3
003 783 286



Wort







בגד
DISSERTATIO PHILOLOGICA
De
Terra Morijah,
&
Monte Visionis Dei,
ex Gen. XXII. v. 2. & 14. *Port.*
Quam
DEO Providente
Sub PRÆSIDIO
UIRI Praclarissimi
DN. M. MICHAELIS Siebentanz/
Facultatis Philosoph. Adjuncti longè
meritissimi,
DN. Fautoris & Praeceptoris sui
aternum colendi,
In Illustriad Albim Academia
Publicæ συφιλολογῶντων Collationi sistit
AUTOR & RESPONDENS
JOHANNES Lehmann/Namslav. Siles.
D. 25. Februarij,
In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wendt.
Anno MDC LXIII.

7

